

caute exponendos.

155. Objic. Apostol. ad Cor. 7. ait: *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat*, ergo licitus est usus conjugii ad sedandam concupiscentiam propriam; maxime cum subinde addat Apostolus: *melius ex nubere, quam uri*. In his verbis fundantur aliqui, ad id asserendum, matrimoniumque esse institutum post peccatum ad sedandam concupiscentiam. R. tamen Apostolum respectu continentiae non concedere conjugium, tamquam quid bonum, sed ut minus malum comparatum ad fornicationem, & adustionem libidinis igne. Ideo addit id dicere *secundum indulgentiam, non secundum imperium*. Hoc est *secundum veniam*. Quæ autem sic permittuntur, vix a culpa veniali excusantur, nisi ob aliam rationabilem causam fiant, ut de petitione debiti ad sedandam concupiscentiam alterius, vel propriam ob fidem servandam diximus. Pariter actus conjugalis, habitus solum ob sanitatem corporis, est culpa venialis, quia invertitur finis matrimonii, quod ex se ad sanitatem non ordinatur, ut docet D. Th. loc. cit. ad 4.

PUNCTUM XV.

Alia dubia de honestate in usu conjugii servanda.

156. Inq. 1. Quando erit illicita copula conjugalis ex circumstantia loci? R. Vitari, quoties non fiat in loco congruo; ut si haberetur, tibi posset videri, vel in loco sacro absque necessitate: tunc enim gravissimum esset peccatum ratione scandalii, indecentiæ, aut sacrilegii. Imo ob eandem rationem tactus, amplexus, aut quid simile, alias conjugibus licita, debent penitus in publico, vel coram familia, aut aliis vitari propter honestatem, quam servare debent ob aspicientium fragilitatem.

157. Inq. 2. An aliquando sit licita copula conjugalis in loco sacro? R. Semper foret peccatum sacrilegii, si fieret absque necessitate. At supposita necessitate diu morandi in Ecclesia ob bellum, obsidionem, aut aliam causam, & periculo incontinentiæ, licita esset. Præcepta enim

Ecclesiæ nollunt obligare cum tanto rigore in casu necessitatis. Unde effusio sanguinis, quæ facta in Ecclesia est sacrilegium, si fiat cum necessitate, aut in propria defensionem, non sacrilegium, sed licita est.

158. Inq. 3. Quando erit illicitus congressus maritalis ratione modi, aut situs? R. Esse illicitum quoties non servatur situs, aut modus congruus, & honestus a natura præscriptus: ut si fiat absque necessitate, aut causa, stando, sedendo, aut situ inverso, viro sucubo, & femina incubæ, quæ omnia valde reprehensibilia sunt seclusa causa. Imo, si adsit periculum extra vas seminandi, sunt peccata gravia: præcisio autem tali periculo, & causa, sunt venialia.

159. Inq. 4. An coitus præposterus inter conjuges sit graviter illicitus? R. Omissis aliorum placitis, quod, si fiat frequenter absque necessitate, est grave peccatum, dissonat enim graviter rationi talis coitus, non hominum, sed bestiarum proprius. Potiori ratione idem est dicendum de coitu in vase præpostero incepto, licet in vase naturali consumato, est enim inchoata copulæ sodomitica. Unde non mihi arridet quorundam regula generalis, quod semper, ac servatur in modo coeundi vas naturale, non excedit limites peccati venialis; esto enim in modo præpostero, absque causa adhibito, servetur vas naturale, adest fedissima dissonantia, & sæpe tactus sodomitici, pene inseparabiles ab effreni libidine sic se gerentium. Nec D. Thom. docet oppositum, sed quod *non semper est peccatum mortale*, hoc est, dum fit cum causa. In 4. dist. 31.

160. Inq. 5. An tactus, & oscula sint licita inter conjuges? R. Esse licita ad mutuum amorem fovendum, vel ad copulam se disponendum; sic enim matrimonii honestate excusantur. Dum autem habentur causa libidinis sine ordine ad copulam, vel ad mutuum amorem, venialia sunt, secluso periculo pollutionis; cum ejus quippe periculo mortalia exadunt: similiter, si tactus sint adeo turpes, ut graviter dedeant honestatem naturalem, etiam si fiant intuitu coitus, & absque periculo pollutionis, peccata gravia sunt. Nam matrimonium talia flagitia, aut propudiosa non cohonestat, nec permittit. Idem est de tactibus

tactibus conjugis secum habitus, dum abest ab alio, vel quando nequit opus conjugii exercere; tunc enim illiciti sunt tactus conjugibus secum separatim habiti eodem modo, ac solutis. Imo de tactibus etiam licitis monendi sunt conjuges, ut moderate solum, & debita honestate illos habeant, ne contiauis peccatis venialibus obruantur.

161. Inq. 6. An femina, quæ non possit seminare in actu conjugali, possit immediate, postquam vir seminavit, & se retraxit, tactibus se excitare ad seminandum? R. Posse absque culpa, saltem gravi. Tum quia illa excitatio est velut complementum copulæ. Tum quia alias esset exposita maximo periculo plura peccata gravia committendi. Ideo expedit feminas tardiores taliter se disponere ad coitum, ut simul ambo seminent; hoc enim semper curare debent ad fetus perfectiorem formationem. Vir autem postquam seminavit, potest se retrahere, nec tenetur amplius expectare, licet possit, & congruat se detinere usque ad alterius seminationem. Peccat tamen graviter vir, si post uxoris seminationem se retrahat ante seminationem sui; frustrat enim semen foemineum. Similiter ambo conjuges grave peccatum committunt, si inchoata copula, nullo seminante, recedant; est quippe actio valde turpis, nisi honestetur ab aliquo fine matrimonii, qui tunc abest, ut supponitur. Solum valet excusari ex alio quo accidenti inopinato, ut si quis cubiculum ingrederetur, vel grave damnum immineret. In copula autem fornicaria nulla est culpa ante seminationem recedere; imo debet tunc semper recedi, quia quilibet tenetur semper a peccato quantum desistere. Nam licet inde pollutio extra vas sequeretur, esset tunc præter intentionem.

162. Inq. 7. An uxor, quæ experitur virum se retrahere a copula conjugali cum pollutione extra vas, possit illi reddere debitum? Hoc detestabile flagitium perpetrabat Onam, propter quod occidit illum Deus, ut patet ex cap. 38. Genes. Ad questionem igitur resp. sub distinctione. Vel enim semper vir ita se gerit; vel solum aliquoties. Si hoc secundum, potest uxor reddere debitum, monendo illum, ut a tanto crimine absteineat, quia ignorat,

si tunc etiam illud perpetrabit. Si vero primum, peccat graviter mulier, debitum reddendo alteri Onam, pejori bellua assueto semen humanum prodigere: nisi in casu, quo firmissime promitteret abstineri a tanta fœditate.

163. Inq. 8. An delectatio morosa de cogitatione copulæ habita, vel habenda ab altero conjugis, dum ea haberi non potest, sit culpa lethalis? R. Quod esto speculative, & quibusdam circumstantiis sit forte probabilis sententia negativa; tamen in praxi sequenda est affirmativa; quia valde periculosa est delectatio deliberata de talibus objectis, suapte enim natura commovent spiritus generationi diservientes, proindeque est quoddam initium pollutionis. Nec talis delectatio ordinatur ad copulam conjugalem, quæ supponitur haberi non posse, ergo sistitur in ea, ac proinde illicita graviter est conjugibus eodem modo, ac viduis, vel sponsis de futuro. Conjugibus enim, dum invicem absunt, aut congregari nequeunt, taliter illicita est delectatio de copula, ac si conjuges non essent. Aliud est delectari de copula, aliud delectari de ejus cogitatione; sed utraque respectu conjugum in casu posito est illicita.

CAPUT III.

De impedimento matrimonii.

Ad explananda matrimonii impedimenta gradum facimus, supposita tamquam de fide potestate Ecclesiæ: ad eam statuenda, ut constat ex Trident. Sess. 24. Can. 4.

PUNCTUM I.

De impedimentis impedientibus.

164. Inq. 1. Quenam sint impedimenta matrimonii? R. Esse in duplici differentia. Alia sunt impedientia; alia dirimentia. Impedientia sunt, quæ illicitum, non invalidum efficiunt matrimonium. Dirimentia vero, quæ illicitum, & invalidum illud efficiunt.

165. Inq. 2. Quor, & quanam sint impedimenta impedientia? R. Esse quatuor, & contineri in hoc versus Ecclesiæ votitum, sem-

sponsalia, votum. Hæc quatuor impedimenta sunt in viridi observantia in præsentis disciplina, sublati aliis, quæ olim vigeant. D. Thom. *ibi q. 50. a. unico. Ecclesie vetitum* significat non posse licite contrahi matrimonium contra prohibitionem ab Episcopo, vel Parocho factam, ob dubium alicujus impedimenti, donec veritas appareat. *Ex cap. Cum inibito, de clandest. dep.* Indicat præterea denuntiationes præmittendas ex præcepto Trid. Sess. cit. Item, ne contrahatur ab Excommunicatis, nec invitis rationabiliter majoribus, neque ab ignorantibus doctrinam Christianam; aut fidei mysteria, saltem quoad substantiam, si ex memoria defectu amplius non valeant. Ita Bened. XIV. *in Syn. lib. 8. c. 14. n. 5. & 6.*

166. Objic. Peccatum grave, non minus ac prædicta, est impedimentum pro licita contractione matrimonii; & tamen non numeratur inter impedimenta impedienda, ergo vel illa non sunt numeranda, vel etiam hoc inter illa debet numerari. R. Peccatum grave esse quidem impedimentum impediens matrimonium, ideoque intelligi sub *vetitum Ecclesie*: non tamen numeratur expresse sicut excommunicatio, & alia, quia de occultis non judicat Ecclesia.

167. *Tempus* significat non posse nuptias solemniter celebrari tempore feriato: hoc est, a Dominica 1. Adventus usque ad diem Epiphaniæ inclusive. Non potest, inquam, celebrari matrimonium solemniter, id est cum benedictione nuptiali; privatim vero, seu absque pompa, & dicta solemnitate, aut benedictione omni tempore contrahi, sponsa in domum sponsi duci, & moderatum convivium parari licite valet, ubi consuetudo aliter faciendi non obstat.

168. Inq. 3. An conjuges peccent consumando matrimonium ante nuptialem benedictionem. R. Quod, licet sit consulendum eis, ut abstineant a copula ante benedictionem, eurentque hanc quantocius recipere tempore non prohibito; tamen non peccant consumando matrimonium ante præfatam benedictionem. Quia sub prohibitionem *temporis feriati* non interdicitur nunc contractio, & consumatio matrimonii, sed solemnitas benedictio. Ita Bened. XIV. *Inst. do.* Unde recipiendus est omni-

no Concilium, qui minus considerate, rigorismum redolens, ait: *peccant igitur. & quidem mortaliter. qui ante hanc benedictionem matrimonium consumant.* Si incautus Parocus huic doctrinæ addictus, ea suas oves depascat, plures errores committet. Sequitur igitur oppositam, pietati Ecclesie, præsentis disciplinæ, & humanæ imbecillitati consentaneam, neglecta illa, quam suggerit Concilio *lib. 2. de matrim. dissert. 2. c. 5. a. n. 13.*

169. *Sponsalia alteri data sunt tertium impedimentum*, prout superius manet expressum: Idem autem est dicendum, esto sint conditionata; licet enim ex sponsalibus conditionatis, quando tali manent, non oriatur impedimentum dirime publicæ honestatis, oritur tamen impedimentum impediens, ita ut ex justitia teneatur, qui illa dedit, expectare eventum conditionis, nisi antea mutuo consensu, vel alia causa dissolvantur.

170. *Votum est quartum impedimentum.* Intelligitur autem votum simplex castitatis, religionis, suscipiendi ordines sacros, aut non nubendi. Qui nubit habens votum non nubendi, peccat graviter, & si uxor moriatur, tenetur ad votum. Tamen semel, aut bis matrimonio inito, potest petere, & reddere debitum, quia non est ligatus voto castitatis. *Vovens castitatem conditionate de futuro tenetur expectare conditionem, si hæc pendeat ab alterius voluntate; secus si a propria voluntate pendeat, ut voveo castitatem, si infra biennium Romanum perrexero.* In hoc casu sic vovens potest statim nubere. *Vid. tract. XI. n. 103.*

171. Inq. 4. Quis possit in impedimentis impediens dispensare? R. Potest in primis summus Pontifex in omnibus ex justa causa, Deinde Episcopus dispensare valet in voto castitatis non perpetuo, aut absolute, sed temporaria, & in Religionis pariter non reservato, ut in emissio ab impubere. Item in voto non nubendi præcisæ, aut virginitalis, usque ad ejus amissionem emissio. In sponsalibus autem non potest dispensare, nisi Papa, ex gravi causa, quia per illa acquiritur jus tertio. At si data sint invitis parentibus, aut ex eorum adimpletione timeantur dissidia, ritus, aut scandala, potest, & debet Episcopus ea rescindere. *Idem omnino censetur*

PUNCTUM II.

De impedimentis dirimentibus.

172. Inq. 1. An Principes sæculares gaudeant potestate constituendi impedimenta dirimentia matrimonii? R. Quod inspecto matrimonio, ut est contractus civilis institutus in officium naturæ, gaudent absolute Principes sæculares potestate assignandi impedimenta dirimentia matrimonium faciendi aliquos inhables illud contrahendi quibusdam in casibus. At quia matrimonium est etiam sacramentum, & in ratione sacramenti nulla est autoritas secularis in matrimonium, ideo Principes ipsi pie cesserunt huic potestati, relinquendo illam Ecclesie, ut statuatur dicta impedimenta, prout sibi expediens visum fuerit. Unde potestas designandi illa omnimode residet jam in Ecclesia; ita ut solum summus pontifex, aut Concilia generalia ejus legitima autoritate congregata valeant ea statuere. Sic tenet consuetudo universalis, qua, Principibus sæcularibus consentientibus, causæ ad matrimonium spectantes in foro Ecclesie deciduntur, & impedimenta matrimonii ab Ecclesia assignantur. Licet quedam causæ mere politice connexionem cum eo habentes, ut lites super dote, hereditaria successione, alimentis, & similibus ad forum sæcularem pertineant, ut ait Bened. XIV. *in Syn. lib. 9. cap. 9. num. 4.*

173. Inq. 2. An impedimenta dirimentia ab Ecclesia designata, obligent infideles? R. Infideles, quoad præsens esse in triplici differentia. Alii, qui degunt in locis Romano Pontifici temporaliter subiectis, & isti obligantur impedimentis dirimentibus, sicut aliis legibus, pro quovis contractu assignatis. Alii, qui vivunt in locis Principibus christianis sæcularibus subiectis; & isti, cum nec temporaliter, nec spiritualiter subdantur Pontifici, non ligantur ejus legibus. Alii denique, qui in terris infidelium Principum incolunt, & isti potiori ratione liberi sunt a legibus Ecclesiasticis. Solum igitur infideles, degentes in locis Pontifici temporaliter subiectis, tenentur ejus legibus, ac proinde impedimentis matrimonii ab ipso designatis. Verum impedimenta

dirimentia matrimonium jure natura, ut error personæ, impotentia, & cognatio inter parentes, & filios omnes obligant. Unde matrimonia cum eis contracta, etiam inter infideles, nulla sunt.

174. Inq. 3. Quot, & quoniam sint impedimenta dirimentia matrimonii? R. Esse quatuordecim; ex quibus duodecim sunt de jure antiquo, & duo de novo Tridentini justissime addita. Omnia in memorie subsidium sequentibus versibus continentur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen, Cultus disparitas, vis, Ordo, ligamen, honestas,

Si sis affinis, si forte coire nequibus,

Si Parrochi, aut duplicis desit præsentia testis,

Raptave sit mulier, nec parti reddita tuta: Hæc faciendæ vetant connubia, facta retrahant.

Alii addunt ætatem, alii amentiam, sed de ætate actum est supra, & fiet infra, loquendo de impotentia, ad quam reducit. Defectus enim ætatis est etiam impedimentum ad sponsalia: omititur tamen in computatione impedimentorum sponsalium, tamquam suppositum ex alibi dictis; ita igitur in præsentia. Amentia autem pro omni contractu est impedimentum, & reducit ad defectum consensus, sive quo supponitur nullum esse matrimonium. Idem dicit de furia D. Th. *in 4. dist. 34. art. 4.*

175. Inq. 4. An qui scienter contrahit matrimonium cum aliquo ex his impedimentis, committit unum, vel plura peccata? R. Certum esse peccare graviter contra obedientiam Ecclesie debitam; violat enim illam in materia gravi. Deinde committit etiam peccatum sacrilegii, apponendo invalidam materiam, & formam sacramenti. Si autem contrahat ex ignorantia invincibili impedimenti, nullum peccatum committit.

176. Peccare etiam modo dicto asserunt aliqui illum, qui ex metu sic contrahit. Sed incosequenter procedunt, dum ex una parte requirunt metum cadentem in virum constantem ad irritandum matrimonium, & ex alia dicunt peccare graviter contrahentem ex tali metu. Qui enim

enim eligit peccatum, etiam leve, ad vitandum malum temporale, quantumvis grave, non est vir constans. Igitur vel non requiritur metus cadens in virum constantem ad irritandum matrimonium, vel contrahens ex tali metu non peccat. Primum est falsum, ergo secundum verum. Contrahens igitur ex tali metu verum consensum præstare debet, alias mentitur, & peccat venialiter. At Ecclesia in favorem metum patientis annullat contractum. Unde ipse non apponit materiam nullam ex sua parte, sed eam alias annullat Ecclesia, quæ non præsumit peccare sic contrahentes: ait D. Thom. *suppl. q. 47. a. 3. in corp.*

PUNCTUM III.

Error.

177. Inq. 1. Quotuplex sit error? R. Quod triplex quoad præsens potest esse error: nempe personæ, qualitatis, & conditionis. Quamvis error differat ab ignorantia in eo, quod ista sit *cauentia scientiæ*, ille autem dicat *judicium distortum circa objectum*; tamen quoad præsens in idem recidunt. Uterque enim causat involuntarium, vel efficit actum non voluntarium. Unde eodem modo irritat, vel non matrimonium error, ac ignorantia. Triplex error irritat matrimonium, & triplex error non irritat illud. Nam error personæ, error qualitatis, quæ refunditur in substantiam personæ, & error peioris conditionis servilis ignoratæ irritant matrimonium. Error autem pure qualitatis, error melioris conditionis servilis, & error æqualis conditionis servilis non irritant illud. In his casibus intelligendus est D. Thom. dum ait, quod *libertas ignorata non impedit matrimonium*. In *Suppl. q. 52. art. 1. ad 5.*

178. Exempla primi generis sunt: Titius contrahit cum Berta, putans esse Lucretiam; matrimonium est nullum, quia adest error personæ, & deest consensus in illam. Petrus contrahit cum Maria, putans esse primogenitam Regis v. g. & est secunda, aut tertia filia, est invalidum matrimonium ob defectum consensus in personam qualificatam; vel quia adest error qualitatis, quæ refunditur in substantiam personæ. Hoc autem accidit, quoties vo-

luntas contrahentis fertur in personam qualificatam, sive cum tali dote, nobilitate, aut pulchritudine, vel quavis alia qualitate, quia tunc consensus directe tendit in qualitatem sub ejus conditione, qua deficiente, deficit consensus, & nullum est matrimonium ex errore qualitatis, quæ redundat in substantiam personæ. Paulus liber contrahit cum Antonia serva, putans esse liberam; nullum est matrimonium ex errore peioris conditionis servilis ignoratæ. D. Thom. *q. 51. a. 2.*

179. Objic. 1. Si Confessarius absolvat Petrum, putans esse Paulum, liberum, aut qualificatum, valida est absolutio, licet talis non sit, ergo idem de matrimonio. 2. Jacob valide contraxit cum Lia, putans esse Rachelem *Genes. 29.* ergo. R. ad 1. neg. conseq. Disparitas consistit in eo, quod in aliis Sacramentis error personæ, aut cujuscumque qualitatis non est substantialis, quia Confessarius non absolvit Petrum *determinate*, sed personam præsentem, quæcumque illa sit, nec attendit ad ejus qualitates, quæ ad rem non sunt in aliis Sacramentis; proindeque ibi non deficit consensus. At in matrimonio oppositum accidit, ut ex se patet. Unde adstante errore substantiali, nullum est defectu consensus. Ad 2. resp. Jacob a principio invalide contraxisse cum Lia; postea vero, sublato errore, validum de novo contraxit matrimonium cum ea, ut docet D. Thom. ubi supra *q. 51. art. 1. ad 4.*

180. Exempla secundi generis sunt: Titius contrahit cum Berta, putans esse divitem, aut pulchram, & postea reperit nec divitem, nec pulchram esse, validum est matrimonium, quia solum adest error pure qualitatis, dummodo non intenderet directe qualitatem, ut dictum est. Adest enim consensus in personam, quod est substantiale contractui. Petrus servus contrahit cum Maria libera, putans esse servam; validum est matrimonium, supposita notitia servitutis Petri ex patre Mariæ liberæ; quia error Petri fuit melioris conditionis, quæ non officit, sed proficit ei. Paulus servus contrahit cum Antonia serva, putans esse liberam, validum est matrimonium, quia error solum est æqualis conditionis, non peioris. Jus autem solum irritat matrimonium contractum cum errore peioris

peioris conditionis servilis. Quando enim servus contrahit cum serva, par pari nubet. Ita D. Thom. ubi supra *q. 52. art. 1. ad 1.*

181. Inq. 2. An error substantialis concomitans irritum reddat matrimonium? Error antecedens datur, dum quis contrahit cum Berta, putans esse Titiam tali animo, quod aliter non contraheret. Error concomitans adest, dum quis contrahit cum Berta, putans illam Titiam, ita tamen dispositus, ut, esto agnosceret esse Bertam, eodem modo contraheret. Esse nullum matrimonium contractum cum errore antecedenti nemo ambigit; dubitatur, an pariter sit nullum cum errore concomitante? R. affirm. Quia licet error substantialis concomitans non det causam contractui, sicut antecedens, tollit tamen voluntarium, & consensum actualem requisitum ad matrimonium. Nec valet dicere tunc casus non esse matrimonium contra voluntatem, nec involuntarium; habet enim talem animum, ut licet sciret esse Bertam, eodem modo contraheret. Quippe hoc probat habere animum, & consensum habituales sic contrahendi, non vero actualem, cum id ignoret. Et licet matrimonium sic contractum non sit contra voluntatem, aut involuntarium positive; est tamen non voluntarium, quia nihil volitum, quia præcognitum.

182. Inq. 3. In quo differant, & conveniant circa errorem matrimonium, & reliqui contractus? R. Differre in eo, quod in matrimonio error circa personam est substantialis, in cæteris vero contractibus est accidentalis: quod provenit ex eo, quod in omni contractu error circa ejus materiam est substantialis, ut si emas felem pro lepore. In matrimonio autem materia contractus sunt ipsi contrahentes, seu eorum corpora, unde error circa illa est substantialis. Conveniunt vero in duobus; nempe in eo, quod error substantialis irritat, tam matrimonium, quam reliquos contractus: & in eo, quod error accidentalis, vel circa qualitates, sive concomitans, sive antecedens validum relinquit omnem contractum, ac etiam matrimonium. Unde si Berta nubat Titio, qui se finxit nobilem, aut divitem, matrimonium est validum; quia supponitur absolute, & sine conditione contractum, & error non

fuit circa personam, sed circa accidentia, seu qualitates.

183. Objic. Si quis donet titulo cognationis, hæc deficiente, donatio est nulla, ergo idem de matrimonio. R. neg. conseq. Disparitas consistit in eo, quod in donatione cognatio est principalis, & substantialis causa donationis. At in matrimonio causa substantialis est persona, & generatio prolis; nobilitas vero, seu divitiæ sunt quid extrinsecum, & accidentale, ideo illud non annullant. Idem est, si nuberet Petro, putans vocari Paulum, quia *nihil facit error nominis, dum de corpore nuptat*. *Leg. in venditionibus 9. ff. de contract. empr.*

184. Inq. 4. Quo jure error matrimonium dirimat? R. Errorem circa personam, aut qualitatem, quæ redundat in substantiam personæ, dirimere illud jure naturæ, quia deficit consensus. Verum error servilitatis solum jure ecclesiastico illud dirimit, quia adest consensus circa personam; licet merito ab Ecclesia annulletur conformiter ad jus naturæ, quia *si vis bene nubere, nube pari*. Alia de conditione servili fusius punct. sequenti.

PUNCTUM IV.

Conditio.

185. Inq. 1. Quid in præsentem significet conditio? R. Significare præcipue conditionem servilem, quæ ignorata a libero dirimit matrimonium. Si autem sciens servitutem contrahat, valide contrahit, quia scienti, & volenti non fit injuria, quam avertere intendit jus a libero, erronee cum serva contrahente. Idem est, si ambo sint servi; tunc enim licet id ignoretur, neutri fit injuria. Idem etiam est, si contracto ignoranter matrimonio inter servam, & liberum, hic, detecto errore, rem habeat cum illa; quia tunc cedit juri suo *ex cap. 1. de conjug. serv.*

186. Inq. 2. An aliquando matrimonium liberi cum errore servitutis alterius sit validum? R. Tres dari casus in quibus servus per matrimonium consequitur libertatem. 1. Quando dominus dotem constituit ancillæ, vel tradit ei dotale instrumentum. Et licet jus solum exprimat ancillam, extenditur idem privilegium ad ser-

servum; quia constitutio dotis est signum personæ liberæ. 2. Quando dominus ancillam in conjugem admittit; aut domina servum. 3. Quando servum, vel ancillam matrimonio tradit libero ignoranti servitute. Vel licet ipse non tradat, scit, & dissimulat, tacendo veritatem. Igitur in his casibus validum est matrimonium, quia revera adest matrimonium liberi cum libera, cum per ipsum matrimonium servitus evanescat. Filii nati ex matre servæ, & patre libero servi sunt. At nati ex patre servo, & matre libera liberi sunt, quia ex dispositione juris *partus sequitur ventrem*.

187. Inq. 3. An matrimonium liberi cum libera sit validum? Ante resolutionem nota, quod *liberta* dicitur, quæ, cum esset ancilla, consequitur libertatem, quod tripliciter fieri potest. 1. Si absolute a domino sit consecuta perpetuam libertatem. 2. Si a domino habeat promissionem, quod cito concedet ei libertatem, licet nondum concesserit. 3. Si a domino acceperit libertatem ad biennium, vel ad aliud tempus determinatum. R. Igitur in primo casu esse validum matrimonium, quia jam non est ancilla, sed libera libertate perpetua. In secundo casu nullum est matrimonium, quia revera adest conditio servilis ignorata a libero. Atque idem est in tertio, in quo vere adest servitus, esto interrupta.

188. Inq. 4. An error vincibilis crassus, aut supinus conditionis servilis dirimat matrimonium? R. affirm. Quia hic non agitur de culpa, a qua non excusat ignorantia, aut error vincibilis, sed de matrimonio, pro quo requiritur consensus actualis, cui opponitur error vincibilis, sive personæ, sive qualitatis, redundantis in substantiam personæ, sive peioris conditionis servilis ignoratæ. Excludunt tamen plures ab hac regula ignorantiam affectatam, quia dicunt hanc scientiæ æquiparari. Matrimonia servorum inter se, vel inter scientes eorum conditionem esse valida, etiam invit dominis, esto quandoque illicita, omnes affirmant.

189. Inq. 5. An servus contrahens matrimonium debeat potius attendere mandatis domini, quam uxoris cohabitationi? R. Sub distinctione. Vel enim utrique obligationi potest satisfacere, vel non. Si primum, debet utrique attendere. Si secun-

dum, vel nupsit volente domino, vel ipso inscio. In primo casu potius debet attendere cohabitationi prudenti, & congruæ uxoris: ad hoc enim habet jus, semel quod dominus consensit in ejus matrimonio. In secundo vero casu potius debet attendere mandatis domini rationabiliter imperantis; quia, cum non consenserit in matrimonium, possidet jus in proprium servum. Ita D. Thom. in suppl. q. 52. art. 2. ad 3.

PUNCTUM V.

Votum, Ordo.

190. Inq. 1. Quid intelligatur in presenti nomine voti? R. Intelligi votum solemne in religione approbata expresse emissum. Quædam enim vota simplicia, quæ apud quosdam emissæ, dirimebant ex privilegio matrimonium, jam non sunt ad rem. Unde talibus privilegiis submotis manet ab omni exceptione immunis doctrina D. Thom. quod votum simplex non dirimit matrimonium, ut asserit ubi sup. q. 53. a. 1.

191. Rationem disparitatis ibidem tradit Angelicus: nimirum, quia per votum simplex non fit totalis traditio; per votum vero solemne fit traditio totalis Deo, & religioni. Unde redditur homo ineptus tradendo se uxori. Qua ratione probat S. D. votum solemne, non solum jure ecclesiastico, sed & jure naturæ dirimere matrimonium, tam contrahendum, quam jam contractum, non consummatum. Nec valet dicere, quod etiam per matrimonium ratum traditur totaliter conjux alteri, ergo nequit se tradere Deo. R. enim, *quod ante carnalem copulam non est omnino translatum corpus unius sub potestate alterius*, ut dicit idem Angelicus *ibidem* q. 61. ar. 2. ad 2.

192. "Nemo est, qui ignoret; ait Bened. 14. Duobus modis religiosam professionem fieri, vel ut melius dicamus, duplicem esse professionem religiosam, unam expressam, alteram vero tacitam: tacita autem in eo posita est, cum quis ea exercet, et operatur, ex quibus arguitur ad vivendum in aliqua religione se obligare voluisse, & si solemniter, & expresse eam professus non fuerit. Tacita professio a Sacro Trid. Concil. juxta communior sententiam sublata non est, ut

late

late testatur Navarrus Cons. 35. de regul. n. 5. Hæc omnia laudatus Pontifex in Bulla, quæ incipit. *Anno vertente*, data. dia. 19. Junii. 1750. ex quibus inferitur professionem tacitam esse veram professionem, dirimereque matrimonium eodem modo ac expressam. Utraque enim professio eandem parit obligationem, & effectus. Vid. tractat. 38. n. 44.

193. Inq. 2. Quid indicet in presenti Ordo? R. Indicare, quod ordo sacer est impedimentum dirimeas matrimonii; tum ex voto solemniter castitatis ordini sacro annexo; tum ex lege Ecclesiæ irritante matrimonium sponte ordinati in sacris, post pubertatem. Unde, si ordinatus in sacris, aut solemniter professus contraheret matrimonium, esset nullum; maneret ipso facto excommunicatus; fieret irregularis ob bigamiam similitudinariam; & esset privandus beneficio ecclesiastico, si quod haberet, per sententiam Judicis. Ordo sacer apud Græcos dirimit matrimonium solum ex vi ordinis; at apud Latinos illud dirimit tum ex vi ordinis, tum ex vi voti solemniter. Apud Græcos conjugatus potest licite fieri Sacerdos; sed non contra: ait D. Thom. a. 3. ita Bened. XIV. in Bulla *anno vertente*: Data 19. Junii 1750.

194. Inq. 3. Quæ differentia detur inter votum solemne monachale, & ordinis sacri in dirimendo matrimonio? R. Quod si utrumque antecedit, æque illud dirimit, licet primum jure naturæ, & alterum jure ecclesiastico. Si autem utrumque subsequatur matrimonium, debet distingui de rato, & consumato. Quoniam, si conjugatus matrimonio rato profiteatur solemniter in religione, professio est valida, & dissolvit illud. At si profiteatur, matrimonio jam consumato, professio est nulla; quia in matrimonio consumato fit totalis sui corporis traditio conjugii; ideoque non potest sine ejus consensu tradi religioni. Unde debet redire ad conjugem, & ei debitum reddere. Verum si conjugatus matrimonio, sive rato, sive consumato ordinetur in sacris, manebit vere ordinatus; quia ex una parte non est incompatibilis jure naturæ ordo sacer cum matrimonio; & ex alia posita materia, forma, & intentione valida est ordinatio. D. Thom. q. 45. a. 4. Sic autem ordinatus post matrimonium ratum potest profiteri in religione, si ve-

Tom. II.

lit, & sic disso lyitur omnino matrimonium. Si vero hoc nolit, tenetur ad conjugem redire, & debitum reddere, nequit autem petere. Idem est, si matrimonium fuit consumatum; quo in casu mulctatur tenetur ad eadem, quæ diximus. Nisi ambo velint religionem amplecti, quod multum expedit, ut sic consuleretur decente ordinis sacri, dissoluto matrimonio quoad torum.

195. Inq. 4. An si in dicto casu ambo conjuges in religione professi rem haberent, adulterium committerent? R. neg. Quia licet agendo contra votum sacrilegium perpetrarent, non tamen adulterium, quia alienum torum non violarent: nam matrimonium consumatum fidelium est penitus indissolubile quoad vinculum.

PUNCTUM VI. Cognatio.

196. Inq. 3. Quid, & quotuplex sit cognatio? R. Quod cognatio est velut communis natio. Unde cognati dicuntur, quasi ab eodem nati. Igitur cognatio est *Unio personarum ex eodem principio procedentium*. Est triplex, *carnalis, spiritalis, & legalis*. In sequentibus erit sermo de duobus posterioribus; in hoc vero puncto de prima, quæ dicitur consanguinitas.

197. Inq. 2. Quid sit consanguinitas, seu cognatio carnalis? R. Est *conjunctio personarum ab eodem propinquo stipite carnali propagatione descendendum*. Dicitur *conjunctio*, seu vinculum, quia consanguinei, utpote ex eodem sanguine orti, specialius cæteris inter se connectuntur. Additur *personarum*, quia bruta sunt incapacia consanguinitatis, sicut veri amoris, & amicitie. *Ad eodem propinquo stipite*, non a remoto; alias omnes essent consanguinei, cum omnes descendant ab Adam, tanquam a primo stipite. Denique ponitur *carnali propagatione descendendum*, tum ad distinctionem cognationis spiritalis, & legalis; tum ad differentiam illorum, qui non carnali propagatione ab eodem procedunt, ut Angeli a Deo, & Eva ab Adam, inter quos non adest consanguinitas; quia Angeli a Deo per creationem, & Eva ab Adam per specialem Dei formationem procedunt. Tamen Christus vere, & mirifice est consanguineus beatissimæ Virginis,

Qu

nis,

nis, quia vere, & mirifice ex ejus purissimo sanguine fuit conceptus.

198. Inq. 3. Quotplex sit consanguinitas? R. Est duplex. Alia enim est in linea recta, ut inter parentes, & filios, Alia est in linea transversali, ut inter fratres, & consobrinos. Linea recta est collectio eorum, quorum unus ab altero descendit. Sive numeretur a genitis ad genitores, & dicitur *ascendentium*: Sive a genitoribus ad genitos, & vocatur *descendentium*. Linea transversalis, seu collateralis, aut obliqua est collectio eorum, qui ab eodem stipite descendunt sine eo, quod unus ab alio ortum ducat. Et hæc est duplex: alia *æqualis*, inter eos scilicet, qui æquali gradu ab uno stipite distant, ut duo fratres. Alia *inæqualis*, inter eos nempe, qui inæqualiter respectu stipitis se habent, ut patruus, & nepos. Gradus est *distantia major*, aut *minor unius personæ ab alia in linea consanguinitatis*. Stipes denique est illa persona, a qua alia consanguineæ originem trahunt, ut pater respectu fratrum, & avus respectu nepotum.

199. Nota. 1. Juristas consanguineos ex sexu virili vocare *agnatos*, & ex sexu feminili *cognatos*, quæ distinctio plurimum interest ad majoratus successionem, licet ad præsens intentum partem intersit. Nota 2. Jus civile in computatione graduum lineæ transversalis attendere ad gradus singulorum, unde inter duos fratres numerat duos gradus, tres vero inter tres. At jus canonicum solum attendit ad gradus, quibus plures personæ ab uno stipite distant. Unde quia fratres uno solo gradu distant a patre, sive sint duo, tres, vel plures, unico gradu distant inter se. Igitur quoad præsens computationi juris canonici attendi debet. A quibusdam depingitur hic arbor consanguinitatis, sed a nobis consulo omittitur, quia theologi confessionem plusquam claritatem præferre solet. Non semel rusticanus, vel sacrista melius theologo talis arboris ramos percipit, & declarat.

200. Inq. 4. Quomodo cognosci valeant gradus distantie inter consanguineos? R. Ad hoc assignari tres regulæ. 1. In linea recta tot gradibus distat unus ab alio, quot sunt generationes inter ipsum, & stipitem, ut inter filium, & patrem una adest generatio, propter quam filius uno gradu distat a patre. Nepos duplici gradu distat

ab avo, quia inter ipsum, & avum duplex reperitur generatio, & sic de cæteris. Alia ita explicant hæc regulam, ut tot gradibus unus ab alio distet, quot sunt personæ dempto stipite. Unde quia inter patrem, & filium sunt duæ personæ, si demas stipitem, qui est pater, unus tantum gradus remanet. 2. Regulam in linea transversali æquali tot gradibus distant inter se, quot distant ab stipite. Unde, quia duo fratres uno solo gradu distant a patre, uno tantum gradu distant inter se. 3. Regulam in linea transversali inæquali tot gradibus unus ab alio distat, quot remotior distat ab stipite. Unde nepos duplici gradu distat a patre, quia duplici gradu distat ab avo. Nota. Inq. 5. Quibus in gradibus consanguinitas dirimat matrimonium? R. Quod licet olim dirimeret præcipue usque ad septimum gradum, hodie tamen solum dirimit usque ad quartum inclusive. Constant ex Trident. sess. 24. de reformat. Ratio dirimendi usque ad quartum gradum est, tum ut amor, & familiaritas extra consanguineos per matrimonium reverentur. Tum ut consulari sanguinis reverentia, & pudori, cui actus conjugalis ex se opponitur. Tum ad vitandam occasionem jacturæ castitatis, quæ periclitatur in consanguineorum familiaritate, si scirent matrimonium non esse sibi interdictum. Ratio autem non extendendi impedimentum ultra quartum gradum fuit, quia ob majorem extensionem sæpe ex ignorantia in gradibus prohibitis matrimonia contraherentur.

202. Inq. 6. Quo jure consanguinitas dirimat matrimonium? R. Dirimere illud jure naturæ in primo gradu lineæ rectæ, in cæteris vero usque ad quartum jure ecclesiastico. Ratio primi est, quia matrimonium requirit æqualitatem, quæ respectu patris, & filii; aut matris, & filii nequit reperiri. Nec obstat parentes posse inire alios contractus, in quibus etiam exigitur æqualitas ex justitia; quia æqualitas exacta in aliis contractibus solum est circa actiones civiles, in quo nulla adest deformitas. At æqualitas requisita in matrimonio est circa actiones naturales, in quo magna deformitas adest inter parentes, & filios. Unde experientia testatur etiam brutam animalia horrere coitum inter patrem, & filiam, & maxime inter filium, & matrem.

Item. Ratio secundi est, quia in reliquis gradibus non adest tanta deformitas. Unde licet inter avum, & nepotem, & inter fratres, & sorores sit jure naturæ illicitum matrimonium, quia aliqua indecentia reperitur in eorum coitu; tamen, cum non sit tanta, ut inter parentes, & filios, validum est jure naturæ inter eos.

203. Aliqui sentiunt jure naturæ esse nullum matrimonium inter ascendentes, & descendentes usque in infinitum, ita ut Adamus, si resurgeret, cum nulla ab eo descendente posset contrahere. Alii extendunt solum usque ad septimum gradum; alii usque ad vigesimum. Sed verius est, quod diximus, quia avus v. g. non est principium per se nepotis, sicut pater est filii. Accidit enim homini, quod ejus pater ab alio patre generetur. Unde Abel fuit filius Adæ, ab alio patre non generati. Ultra quod eo minor indecentia adest in usu matrimonii, quo minor est conjunctio personarum, ut inter avum, & nepotem. Pariter esto matrimonium inter fratres, & sorores sit jure naturæ illicitum ob sanguinis conjunctionem, non vero irritum; initio enim mundi fratres ducebant sorores. Nec frater, & soror sunt una caro, sicut pater, & filius. Ita D. Thom. 2. 2. q. 154. a. 9. ad 3.

PUNCTUM VII.

Cognatio spiritualis, & legalis.

204. Inq. 1. Quid sit cognatio spiritualis? R. Est *propinquitas personarum jure ecclesiastico introducta*. Solum contrahitur in duobus sacramentis, nempe in baptismo vero, & in vera confirmatione. Qui autem, & quando illam contrahant, aut non, in uno, & altero sacramento, diximus tract. 23. & 24.

205. Inq. 2. Quid sit cognatio legalis? R. Est *propinquitas personarum ex adoptione proveniens*. Adoptio est personæ extraneæ in filium, vel nepotem, aut deinceps legitima assumptio. Dicitur *Personæ extraneæ*, quia, si sit proprius filius, nequit adoptari. Ideo Christus Dominus, utpote filius naturalis Dei, nequit esse ejus filius adoptivus, sicut ceteri sumus per ejus gratiam, & misericordiam. In filium, vel nepotem: non in fratrem, vel alium gradum præter des-

centes in linea recta. *Legitima assumptio*: quia debet fieri juxta leges civiles, & canonicas; præcipue vero attendi debent civiles in controversiis ad adoptionem expectantibus, ut ait Bened. XIV. in Syn. 19. c. 10. n. 5.

206. Inq. 3. Quot requirantur conditiones, ut adoptio legitima sit? R. Sex requiri. 1. Quod adoptans sit vir; femina enim nequit adoptare, nisi ex privilegio Principis. 2. Quod adoptans sit sui juris & viginti quinque annis major, alias sua bona nequit administrare. Imo pro adoptione perfecta debet habere quinquaginta annos completos. 3. Quod possit gignere filios; quare impotentes a natura, sive ab arte adoptari nequeunt. 4. Adoptans adoptatum decem, & octo annis excedere debet, ut ratione ætatis filius ejus esse possit. Adoptatus autem septem ætatis annos habere debet. 5. Uterque debet esse præsens, quia adoptio inter absentes fieri nequit. 6. Autoritate Principis, sive magistratus facienda est; alias licet publice fiat, non valet.

207. Inq. 4. Quotplex sit adoptio? R. Est duplex, perfecta, imperfecta. Perfecta fit rescripto Principis, quo persona, quæ jam est sui juris, transit in potestatem adoptantis. Vocatur *arrogatio*, quia adoptans rogatur a Principe, an velit hunc, aut illum sumere in filium. Hic etiam rogatur, an velit assumi, & in potestatem adoptantis transire. Secunda, quæ dicitur *simplex adoptio*, dictas conditiones non requirit, sed autoritate cujuslibet Magistratus fieri valet. Est autem differentia, quod adoptatus solum ab intestato succedit adoptanti. At arrogatus necessario, etiam ex testamento, eodem modo, ac si esset verè filius, succedit arroganti.

208. Ex adoptione igitur, sive perfecta, sive imperfecta oritur triplex species cognitionis legalis. Prima in linea recta inter adoptantem, & adoptatum. Secunda in linea transversali inter adoptatum, & filios carnales adoptantis, veluti inter fratres. Tertia affinitatis inter adoptantem, & uxorem adoptati. & inter adoptatum & uxorem adoptantis. Impedimentum dirimens solum ex adoptione perfecta oritur, ut docet D. Thom. in Suppl. q. 57. a. 1. ad 1.

209. Inq. 5. Quantum duret hoc impedimentum? R. In linea recta, & in affinita-

te semper durare. Unde in prima specie, nempe inter adoptantem, & adoptatum, & in tertia, nimirum inter adoptantem, & uxorem adoptati, ac inter adoptatum, & uxorem adoptantis, nunquam quit contrahi matrimonium, quia reverentia, ratione cujus interdictum fuit matrimonium inter hujusmodi cognatos, semper durare debet. In secunda vero specie solum durat, quando filii adoptantis sub patria potestate existant. D. Thom. *ibi*. a. 3.

210. Inq. 6. An impedimentum cognationis legalis extendatur ultra primum gradum? R. cum D. Thom. a. 3. Negative: quia hoc impedimentum non est jure naturæ, sed tantum de jure humano, ergo ad illos solum debet extendi, qui assignantur in jure; sed hi solum sunt cognati in primo gradu cognationis legalis, ergo non extenditur ultra primum gradum. Nota autem extendi ad omnes, qui tempore adoptionis sunt sub potestate adoptati, non vero ad illos, qui post tale tempus veniunt ad ejus potestatem. Unde adoptans potest docere adoptati filiam, quæ nata est post adoptionem. Item filium filię adoptivæ, quia femina non habet patriam potestatem. Pariter filius adoptatus valet contrahere cum filiabus illegitimis, seu adoptatis ejusdem patris adoptantis; quia hæc cognatio in linea transversali solum contrahitur ab adoptato cum filiis carnalibus legitimis adoptantis.

PUNCTUM VIII.

Crimen.

211. Inq. 1. Quid sit crimen? R. Est impedimentum ab Ecclesia statutum in conjugum delinquentes, ad auferendam occasionem captandæ mortis respectu consortis. Unde hoc impedimentum solum potest incurri a conjugatis, vel interveniente saltem uno conjugato. Crimen ob quod incurritur est duplex, nempe homicidium, & adulterium: quæ varie combinata, quatuor efficiunt. Igitur quatuor sunt crimina, videlicet homicidium conjugis simul cum adulterio: homicidium conjugis sine adulterio utriusque consensu perpetratum; adulterium cum pacto nubendi: secundum matrimonium mala fide contractum.

212. Exemplum homicidii conjugis si-

mul cum adulterio. Petrus Titia nuptus rem habet cum Berta; subinde occidit Titiam, vel mandat efficaciter alteri, ut eam occidat animo ducendi Bertam. Incurrit impedimentum criminis, ne possit cum Berta contrahere. Ad hoc autem impedimentum incurrendum non requiritur, quod uterque adulter concurrat ad occisionem, sufficit enim, ut alter illam perpetret, etiam alio nesciente. Requiritur vero, ut occisio fiat animo nubendi cum determinata persona, saltem ex parte unius. Unde si fiat alia ratione, ut ex tædio, ira, odio, vel ad alteri indeterminate nubendum, non incurrit impedimentum.

213. Inq. 2. Quot conditiones requirantur pro hoc crimine incurrendo? R. Quinque requiri. 1. Quod mors reipsa secuta fuerit. Non enim sufficit, quod sit intentata, sed exigitur, quod ex vi actionis, vel mandati non revocati sequatur. Si enim revocetur efficaciter mandatum, vel aliunde mors sequatur, non incurrit impedimentum. 2. Quod matrimonium præcedens cum conjugate occiso fuerit validum. Si enim ex aliquo capite nullum fuit, non adest verum adulterium. 3. Quod adulterium fuerit consummatum per emissionem seminis intra vas naturale femine. 4. Quod adulterium committatur ante occisionem consortis; alia non erit adulterium. Vel esto sit tale, non constituit hoc crimen: ut si Petrus, postquam occidit propriam uxorem, agnoscens cito moriturum naturaliter maritum Titia, rem cum hac habeat ante mariti mortem; hæc naturaliter secuta potest contrahere cum Titia, quia adulterium non ante, sed post occisionem conjugis, fuit commissum. 5. Quod uterque conjux sit conscius illius matrimonii. Ideo si femina rem habuit cum conjugato, quem solum putabat, non adest adulterium formale ex parte utriusque, proindeque non incurritur hoc impedimentum. Sufficit autem quælibet ignorantia ad excusandum, dummodo non sit affectata; quia ignorantia facti, ut hæc est, excusat juxta regulas juris.

214. Secundum crimen est homicidium conjugis utriusque consensu perpetratum. Ad hoc crimem incurrendum non requiritur adesse adulterium, sed sufficit, quod occidatur conjux ex utriusque consensu. Non autem est sufficiens ratihabitio

oc-

occisionis, si nullum concursum ad illam præbuit. Requiritur tamen quatuor conditiones. 1. Quod matrimonium præcedens fuerit validum. 2. Quod occisio reipsa sequatur. 3. Quod fiat animo inter se contrahendi. 4. Quod uterque sit conscius matrimonii anterioris.

215. Tertium crimen est adulterium cum pacto nubendi. Ad quod incurrendum requiruntur quinque conditiones. 1. Quod præcedens matrimonium fuerit validum. 2. Quod uterque sit conscius illius. 3. Quod adulterium sit consummatum. 4. Quod promissio, & acceptatio sit exterius manifestata. 5. Quod promissio, & adulterium fiant durante eodem matrimonio. Non enim sufficit adulterium solum, nec sola promissio, sed utrumque requiritur, quod adsit, existente eodem matrimonio. Unde si quis promisit nubere Bertæ solutæ, & cum ea jam alteri maritata rem haberet; vel promisit jam nuptæ, & rem habuit cum eadem post mortem viri, non incurrit hoc impedimentum. Idem est licet promissio, & adulterium concurrant durante matrimonio; ita tamen, ut adulterium habeatur post promissionem serio revocata; quia promissio serio revocata non ungit moraliter cum adulterio. Ex promissione omnino facta, simul cum adulterio probabilius non incurritur impedimentum; tum quia sicut verum adulterium requirunt jura, ita etiam promissionem veram. Tum quia ex promissione facta non sequuntur eadem inconvenientia, quia factus promisor longe abest a machinanda morte conjugis. Tum denique, quia alias esto matrimonium præcedens esset nullum, aut adulterium non esset verum, incurreretur impedimentum, quod non admittunt patroni oppositæ sententiæ, licet in tali casu daretur occasio captandi necem consortis.

216. Quartum crimen est secundum matrimonium mala fide contractum. Exemplum est: Petrus maritus Titia rem habet cum Berta, & contrahit cum ea, utroque conscio præcedentis matrimonii. Tunc etiam mortua Titia, inhabiles sunt ad contrahendum ob crimem secundi matrimonii mala fide contracti. Requiritur autem, quod adulterium ante, vel post secundum matrimonium perpetratum fuerit consummatum, & validum præcedens ma-

trimonium. Vid. D. Thom. q. 60. a. 2.

217. Inq. 3. An infideles dicta crimina perpetrantes incurrant hoc impedimentum? R. Quod si uterque sit infidelis, non incurrit, quia est impedimentum ab Ecclesia statutum. At si unus esset fidelis, quolibet ex dictis criminibus commisso incurrit, & manet inhabilis ad contrahendum cum suo complice, esto hic converti velit ad fidem. Unde si femina fidelis maritum occidat, ut nubat gentili ad fidem convertendo, nullum erit matrimonium, ut patet. Ex cap. 1. de conversione infidelium.

PUNCTUM IX.

Cultus disparitas.

218. Inq. 1. Quid significet cultus disparitas? R. Significare impedimentum ab Ecclesia statutum dirimens matrimonium inter baptizatum, & non baptizatum ob disparitatem cultus, seu ob diversam religionem. Quod iustissime est sancitum: tum ob periculum perversionis conjugis fidelis; tum ob educationem prolis, quæ difficile educari posset in Dei cultu, & obsequio, altero parente ritibus infidelium dedito.

219. Inq. 2. An matrimonium inter fidelem, & infidelem sit nullum jure naturæ, aut divino? R. neg. Quia nec opponitur ejus fini primario, nec in sacra pagina irritatur, esto sæpe prohibeatur ob periculum perversionis, quod inter alios expertus fuit Salomon ex ejusmodi conjugis. Reperiuntur tamen alii, qui nupsertunt gentilibus sine animæ dispendio in veteri lege, ut Joseph Aseneth filiae Putipharis, & Esther Assuero. In nova etiam constat de sancta Cecilia, quæ nupsit Valeriano, de sancta Clotilde Clodoveo, de sancta Monica Patricio, & aliis. Non ergo tale matrimonium est invalidum jure naturæ, aut divino, sed tantum jure ecclesiastico ex unanimi consuetudine legitime recepta, & introducta. Est tamen jure naturæ, & divino illicitum ob relatum perversionis periculum: quo stante, nequit Pontifex dispensare in hoc impedimento. Illo vero sublato dispensare valet ex justa causa.

220. Inq. 3. An matrimonium Catholici cum hæretica, vel e contra sit invalidum aliquo jure? R. neg. Quia non adest jus annullans matrimonia inter baptizatos.

Idem

Idem est de apostata, & schismatico, quia semel, quod ambo sint baptizati, non adest cultus disparitas, de quo in praesenti, ut constat ex cap. 1. de divortis, & cap. Decretis, de haereticis in 6. Unde improbandi sunt aliqui dicentes talia matrimonia esse irrita, aut nunquam permittenda, opponuntur enim sponte, & sine gravi fundamento communi sensui Theologorum cum D. Thom. q. 59. a. 1.

221. Objic. Catholicus contrahens matrimonium cum haeretica peccat graviter, profanando sacramentum ex parte haeretice, & cooperando ad hoc, ut illa apponet materiam, & formam invalidam, ergo nunquam debet permitti tale matrimonium. R. Catholicum ex parte sua apponere veram sacramenti materiam, & formam; aliunde utitur jure suo contrahendo debitum circumstantiis cum persona haeretica, quae si velit, potest licite, & sancte contrahere. Ex opposito peccati gravis damnandae essent sanctae feminae supra receptae, quae cum infidelibus, aut haereticis contraxerunt, quod absque temeritate asserti non valet, ut ait Bened. XIV. loco statim laudando.

222. Inq. 4. An matrimonia Catholicorum cum haereticis sint licita? R. Absolute, & regulariter esse illicita, tum ob periculum perversionis prolis; tum ob idem periculum respectu conjugis. Tum denique, quia Concil. Chalced. can. 14. similia connubia prohibuit. Ideo nec ex consensu, aut facultate Episcopi, ut quidam ajunt, nec vi consuetudinis, ut alii dicunt; sed solum ex dispensatione Pontificis contrahi valent, ut inquit Bened. XIV. in Synod. lib. 9. cap. 3.

223. Inq. 5. An matrimonia a catholicis contracta cum haereticis sint celebranda, & benedicenda in Ecclesia? R. Extra Ecclesiam debere celebrari sine benedictione, neque Missae nuptiali posse assistere conjugem haeticum. Ita refert fuisse factum, dum Henricheta catholica nupsit, medio procuratore, Carolo I. Britanniae Regi haeretico, idem Pontifex ubi sup. lib. 6. cap. 5. num. 5.

PUNCTUM X.

Vis.

224. Inq. 1. Quid sit vis? R. indicare, non coactionem absolutam, quae nequit inferri voluntati in suis actibus, sed metum gravem injustum, ab extrinseco incussum ad extorquendum consensum pro contrahendo matrimonio. Quid sit metus, quod duplex, & quas condiciones requirat, ut dicatur esse gravem, & cadere in virum constantem diximus tract. 1. a. n. 105.

225. Inq. 2. Quo jure matrimonium in initum ex metu sit nullum? R. Esse nullum jure ecclesiastico; non jure naturae. Primum constat ex cap. Cum locum, de sponsal. Et ex aliis testibus canonicis, in quibus irritum fit matrimonium celebratum ex metu gravi injusto, a causa libera incusso ad extorquendum consensum. Et merito, quia cum matrimonium validum sit indissolubile jure naturae, & divino, Ecclesia provide decrevit, quod in initum cum tali metu sit invalidum. Alias cogetur pars compulsa amplecti perpetuum vitae societatem sibi repugnantem, vel patri perpetuum servitatem. Alios autem contractus ex metu initos, excepta professione, & voto, ideo Ecclesia relinquit validos, quia sunt rescindibiles, quod non accidit matrimonio. Quod autem non sit nullum jure naturae, patet; tum in aliis contractibus, qui ex metu ininiti validi sunt; tum in matrimonio contractu ex metu incusso a causa necessaria, vel juste a libera, quod apud omnes validum est.

226. Objic. 1. In laudat. cap. Cum locum dicitur, quod non habet locum consensus, ubi metus, vel coactio intercedit; sed matrimonium sine consensu est nullum jure naturae, ergo ita est. 2. Quia, quod fit ex metu, non est voluntarium. R. ad 1. Quod ubi adest metus, non habet locum consensus omnino liber. Ideo justissime, & conformiter ad jus naturale annullatum fuit matrimonium ex metu dicto in initum. At non quia absolute defecerit consensus. Ad 2. eodem modo dicitur, quod facta ex metu sunt voluntaria simpliciter, esto aliquando involuntaria secundum quid: hoc est voluntaria mixta ex involuntario. Ad valorem autem matrimonii, sicut, & cu-

jus-

justibet contractus jure naturae sufficit voluntarium simpliciter.

227. Inq. 3. An preces, vel blanditiae importunae dirimat matrimonium ob eas contractum? R. Quod nisi jungantur eis graves molestiae, combinationes, aut alii incommodum notabile, non illud dirimunt: quia preces importunae facile vitari queunt, dum ab aequalibus, vel inferioribus procedunt. Si autem a majoribus, vel parentibus repetantur, & simul cum precibus, & cum metu notabilis incommodi adsit imperium, matrimonium nullum est. Ex regul. 4. ff. de regul. juris; velle non creditur, qui obsequitur imperio patris, vel domini. Ratio etiam id ipsum suadet: gravis quippe molestia est negare se imperio ejus, cui reverentia debetur, & habere illum offensum, ac torvum. Igitur talis timor merito reputandus est gravis, & sufficiens ad matrimonium dirimendum. Unde metus reverentialis licet se solo non dirimat matrimonium; tamen simul cum imperio, & minis illud dirimit.

228. Inq. 4. An metus levis dirimat matrimonium? R. Sub distinctione. Vel enim est levis undequaque, & respectu omnium; vel esto sit levis respectu virorum, est tamen gravis respectu foeminarum, aut puellae imbecillis, aut etiam hominis modice spiritus. Si primum, non dirimat matrimonium: quia metus absolute levis facile vitari potest, & potius puero- rum, quam virorum est. Si autem secundum, circumstantiae sunt inspiciendae. Si enim homo pusillanimis, aut puella tenera moveretur ad contrahendum ex metu alias levi, sibi tamen gravi, matrimonium, quod sine illo minime contraheret, proculdubio nullum est. Metus enim movens aliquem ad negotium adeo grave contra suam voluntatem, nequit non esse gravis, saltem respective. Unde respectu illius perinde est, ac si esset gravis absolute.

229. Inq. 5. An si metus incutiatur non respectu determinatae personae, sed ut nubat, qui non vult nubere, vel ut nubat uni ex pluribus hujus familiae, aut civitatis, valeat matrimonium? R. neg. Quia verificatur de tali matrimonio, quod est contractum ex metu gravi, & quidem injusto, ut supponitur. Si enim metus juste, & rationabiliter incutiatur a Judice,

vel parentibus non est questio, ut ex dicendis patebit.

PUNCTUM XI. Metus. 230. Inq. 1. An metus a causa naturali incussus irritet matrimonium? R. neg. Quia tunc metus provenit ab intrinseco, & a sua voluntate oritur electio. Unde si quis in naufragio, bello, incendio, infirmitate, vel fera minante promittat nubere huic, aut alteri, ut se eripiat a periculo, & sic matrimonium contrahat, validum est ob dictam rationem.

231. Objic. Eodem modo minuit libertatem metus a causa necessaria, ac a causa libera, ergo eodem modo dirimit matrimonium metus ab una, ac ab alia causa incussus. R. neg. conseq. Verum est utrumque metum minuire libertatem, sed Ecclesia pro irritando matrimonio attendit non tam diminutionem libertatis, quam injustitiam parti illatae. Quare cum metus a causa libera inferat injustitiam, non autem a causa naturali, ideo primus, non secundus metus irritat matrimonium. Unde paritas solum tenet, quando metus juste incutitur a causa libera. Tunc enim, cum non inferat injustitiam, validum est matrimonium.

232. Ex quo resolvuntur sequentes casus. Qui ad mortem damnatus eligit suam sponte nubere filiae Judicis, uxori defuncti, concubinae, vel alteri; ut a morte liberetur; validum contrahit matrimonium. Idem est si talis timor injuste esset incussus a Judice, vel ab alio: sed non ad extorquendum consensum, quia etiam tunc matrimonium ab ipso eligitur ad evadendum periculum. Qui Judice carcerem minante ducit illam, quam defloravit, valide contrahit. Idem est si juvenis repertus a patre in stupro cum propria filia, timens mortem, sponte illi nubat. Idem, si pater in dicto casu minaretur cum Judice talem juvenem, nisi ducat eam, quam invitam violavit, & ille ei ex hoc metu nubat: est enim metus juste incussus. Secus si filiam volentem, aut procurantem defloravit; tunc enim non tenetur deflorator praecise ad matrimonium. Unde metus injuste esset incussus ad extorquendum consensum. At

si